

Item privilegium non solet esse debitum, et hac ratione gratis conceditur, ac subinde est gratia, unde si sit privilegium scriptum, erit rescriptum gratiae. E contrario autem non convertitur, quia non omnis gratia vel beneficium principis est privilegium: nam omnis dispensatio sub gratia et beneficio continetur, et tamen non omnis illa est privilegium ut dixi. Quae omnia deservire poterunt ad exponenda jura loquentia de rescriptis, et quomodo applicanda sint privilegiis, etiam scriptis. Nam quae pertinuerint ad generales rationes rescripti, cum proportione conveniente privilegio, non vero quae conveniunt rescripto rigoroso, quod continet et declarat commune jus: nam in hoc habet speciale rationem privilegium. Et ad hunc modum de aliis judicandum est.

## CAPUT III.

## DE DIVISIONE PRIVILEGII IN REALE ET PERSONALE.

1. Explicata ratione generali privilegii, oportet varios modos, et quasi species privilegiorum exponere: nam ad intelligenda iura et indulta hoc maxime necessarium est. Et imprimis potest dividi privilegium in divinum et humanum, ut videre licet in Anton., 1 part., tr. 19, c. 1. Divinum appellat quod a Deo ipso conceditur. Quod olim creditur fuisse in usu respectu communitatis populi Dei, quasi per generalem concessionem praeter jus naturae, qualis fuit in lege veteri facultas repudiandi uxorem, et in lege etiam naturae licentia duendi plures uxores viventes, juxta receptas sententias. Nunc vero potest in hoc ordine poni facultas quae aliquando datur alii cuius personae per internam Spiritus Sancti inspirationem ad aliquid singulariter operandum: illa enim in jure aliquando vocatur privata lex, ut in cap. *Duae sunt leges*, 23, q. 2, et in cap. *Dixit Dominus*, 14, quæst. 5, et in cap. *Si licet*, § *Non occides*, 23, quæst. 5. Quæ inspiratione seu privata lex interdum non repugnat præceptis, sed sublevat hominem ad aliquid perfectius ultra illa operandum. Et tunc non meretur nomen privilegii, sed specialis auxili, et sine periculo admitti potest, quamvis semper prudentia necessaria sit. Interdum vero exorbitat a communibus, ut fuit in Samsone ad se occidendum. Et talis lex privata, quamvis interdum dari soleat ex dono Spiritus Sancti, tamen multum habet periculi, si non examinetur summa cum diligentia, et præsertim per ecclesiasticam regulam, et le-

ges, juxta cap. *Nisi cum pridem*, de Renunt., cap. *Cum ex injuncto*, de Hæret., et legi potest D. Thom. 2. 2, q. 171, artie. 5, et ibi Cajetan.

2. Privilegium autem divinum, hoc modo sumptum, magis spectat ad quamdam dispensationem, vel potius mutationem factam in materia legis naturalis, de qua supra dictum est. Et præterea prior modus talis dispensationis jam non est in usu: qualis autem olim fuerit, in materia de matrimonio consideratur. Posterior autem modus dispensationis rarissimus est, et pertinet ad divinum instinctum, de quo in materia de fide et prophetia dicendum est. Præter hæc vero solent dici divina privilegia, quae Christus Ecclesiae suæ concessit, vel Pontifici vicario suo, aut ordini clericali. Sec hæc non sunt privilegia prout nunc de illis tractamus; tum quia licet sint specialia dona, non sunt ex lege privata, sed ex jure divino, communi, et ordinario legis gratiae, et quasi connaturali Ecclesiae Christi, ut ab ipso fuit instituta, et ita non sunt præter jus, sed secundum jus, quod in se continent: tum etiam quia nunc non agimus de lege divina, sed de humana.

3. *Privilegium humanum aliud reale, personale aliud, et quid sunt.* — Omissis ergo divinis privilegiis, humanum dividi solet in reale et personale. Quæ divisione insinuat in c. *Mandata*, de *Præsumpt.* ibi: *Non loco tribunus, sed personæ*; quamvis ibi non de proprio privilegio, sed de quadam pontifica delegatione sit sermo, tamen est eadem ratio, et fere similia sunt verba in l. *Privilegia*, 196, ff. de Regul. jur., ubi dicitur: *Privilegia quædam causæ sunt, quædam personæ*. Sumitur etiam clare ex l. *Forma*, atque *Quanquam*, ff. de *Censib.*, et in eisdem juribus satis insinuat divisionem esse sufficientem; quamvis enim addi soleant alia membra, ad hæc possunt reduci, ut jam dicam. Privilegium ergo reale dicitur, quod conceditur directe alicui rei, muneri, vel conditioni distinctæ a persona. Personale vero, quod immediate fertur in personam ratione sui; sicut dividi solent decimæ in reales et personales, et interdictum similiter. Unde sicut in illis alibi diximus, ita in præsenti advertendum est quod, licet omne privilegium principaliter et quasi ultimate referatur ad alicujus personæ utilitatem, usum, vel fructum: quia, sicut leges, ita et privilegia non feruntur, nisi propter hominum commoditatem aut favorem; nihilominus fructus et utilitas privilegii frequenter versatur proxime circa res, et circa prædia, domos, merces, of-

ficium, et alias res similes per quas redundat utilitas in personam habentem talem rem aut dignitatem, aut existentem in tali loco. Et ideo ad distinguenda illa duo membra, oportet attente distinguere personam quæ fruitur privilegio, a subiecto cui veluti immediate adhaeret immunitas privilegii; non enim sumitur divisione ex persona primo modo spectata, quia, hoc modo omnia privilegia dici possunt personalia, vel potius personarum; sed ex re vel persona posteriori modo consideratis, utriusque membra ratio et distinctio sumenda est; nam si privilegium adhaeret rei distinctæ a personis, et per illam transit ad dominum vel possessorem, privilegium reale est, ut sunt immunitas templi, servitus, vel tributum prædio aut fonti adhaerens. At vero si immunitas privilegii ipsi personæ immediate, quasi ratione sui, inhaeret, et sub hac ratione illi concessum sit, tunc est personale. Contingit tamen ut, licet privilegium non adhaeret rei existenti extra personam, nihilominus non sit in ipsa persona, nisi ratione alicujus conditionis adhaerentis illi, ut ratione dignitatis, verbi gratia, episcopatus, clericatus, principatus, aut doctoratus, etc., aut ratione numeris, seu officiis, ut judicis, militis, scholaris, vel ratione necessitatis, ut minorum, pauperum, etc.; ratione actionis, ut piæ causæ, etc.; et de his privilegiis potest esse ambiguum, an sint personalia vel realia. In quo attendenda videtur qualitas conditionis cui privilegium proxime adhaerere censemur. Nam si illa sit de se perpetua, vel per successionem vel per adhesionem ad aliquod corpus perpetuum, tale privilegium reale censemur, quia cum re ipsa transit et durat; et tale est privilegium episcopatus, cardinalatus, senatorius, et similia: si vero talis conditio sit in se temporalis, vel saltem finiatur cum persona, privilegium nihilominus censemur personale, licet interdum multum habeat de reali, et ideo mixtum appelletur.

4. *Quomodo dignoscatur an privilegium adhaerat personæ, vel rei.* — Quærit autem solet quomodo dignoscatur an privilegium adhaerat personæ, vel rei; de quo puncto multa scribunt juristæ in l. *Quia tale*, ff. *Solut. matrim.*, et in aliis locis infra referendis. Nos autem breviter dicimus tria vel quatnor spectanda esse, scilicet, modum personæ cui fit gratia; ratio seu causa quæ movet ad concessiones; res, quæ ibi intervenit, circa quam versatur immunitas privilegii, ac denique verba privilegii. Circa personam advertendum est quamdam esse personam propriam, ut est

unus homo, aliam fictam, quæ corpus mysticum etiam solet appellari, ut est civitas, religio, collegium, monasterium, universitas et similia. Si ergo privilegium directe fiat personæ fictæ, id satis est ut privilegium sit reale, quia perpetuum est, juxta l. *Forma*, § *Quanquam*, ff. de *Censib.*, quia talis persona ficta perpetua est, juxta l. *Proponelatur*, ff. de *Judic.* Procedit autem hoc, sive privilegium concedatur corpori ad usum totius corporis per modum universitatis in unum congregatæ, sive concedatur eidem ad usum singulorum, sive e converso detur singulis de tali corpore ratione totius, et ut sunt membra talis corporis, id est, ut cives, vel religiosi sunt. Quia, ut sumitur ex l. 2, ff. de *Reb. dub.*, etiam hoc modo censemur, privilegium per se primo concedi tali corpori mystico, quod est res quædam perpetua per continuam quamdam successionem, et ideo tale privilegium reale est et perpetuum.

5. Si autem persona cui conceditur privilegium sit vera, non statim privilegium est personale, sed subpartitione opus est. Nam aliquando est persona particularis, aliquando vero est genus personarum, ut minores, mariti, uxores, et similes, et utrumque ex his vocari potest personale, ut notat Barbos. in l. *Quia tale*, n. 14, ff. *Solut. matrim.*, cum Lasio in l. *Maritum*, eod. n. 32. Et de priori quidem perse patet. Quia tale privilegium soli illi personæ adhaeret, et cum illa finitur, quæ est conditio maxime propria privilegii personalis, ut patet ex dicto cap. *Privilegia*, et ideo non transit ad haeredes, ut habetur in dicta l. *Maritum*, et dicta l. *Quia tale*, et dicta l. *Forma*, et optime in l. *Sordidorum*, c. de *Excusat. muner.*, lib. 10. De posteriori vero ratio est, quia tale privilegium singulis personis veris sub illa communis appellatione conceditur, non ratione communitatis talium personarum, aut alicujus corporis mystici ex illis compositi, sed ratione sui, et prout in unaquaque est, illi soli prodest, et cum illa extinguitur, quæ sunt conditions privilegii personalis. Quia vero hoc privilegium, sic in communis concessionem certo generi personarum, moraliter perpetuum est, quia nunquam sub illo communis genere deesse possunt individua in quibus privilegium illud conservetur, ideo multum simile est privilegio reali, et ab aliquibus ita vocatur.

6. Item potest considerari alia ratio, quia tunc videtur concedi privilegium non tam personæ quam certæ conditioni existenti in

persona, ut minori propter defectum etatis datur privilegium restitutionis; majoribus autem propter absentiam causa reipublicæ, ff. Ex quibus causis majores, etc. Uxoribus datur Velleianum ratione status et subjectionis; filiisfamilias Macedonianum, simili titulo. Et ita similia privilegia magis videntur concessa ipsi causæ, vel rei, et ex hac parte censeri possunt realia, sicut privilegia piaæ causæ, scholiarium, doctorum, et similia, argumento l. *In omnibus causis*, 69, ff. de Reg. jur. Sed non oportet de nomine laborare, quando de re constat. Nam quod ad doctrinam moralem attinet, talia privilegia in se spectata, et respectu totius generis talium personarum, plane sequuntur in omnibus naturam et conditionem privilegii realis. Spectata vero prout unicuique personæ particulari sub illo genere contenta applicantur, sequuntur conditionem et doctrinam personalis privilegii, et hoc intendunt citati doctores, et probat ratio facta. Ex quibus constat ad illam divisionem sufficier reduci omnes species privilegiorum, quæ sub aliis nominibus numerant Host., Anton., Sylvest., Ang., et alii tractantes de privilegiorum varietate.

7. Sic ergo ex parte personæ cognosci potest quando privilegium sit personale, vel reale; non tamen id sufficit, præcipue quando privilegium datur personæ veræ ac singulari: non enim satis hoc est ut privilegium censeatur personale, argumento leg. *Juris gentium*, § *Pactum*, ff. de Pactis, ibi: *Plerumque persona inseritur pacto, non ut personale pactum fiat, sed ut demonstretur cum quo pactum factum est*; et ideo additur ibi estimandam esse mentem contrahentium. Idem ergo contingit cum proportione in privilegio, quia sæpe cum persona jungitur res, vel dignitas, aut similis causa, et ideo, ex intentione concedentis oportet discernere cui primario concedatur privilegium. Ad hoc ergo discernendum, subiungitur secunda consideratio, quæ esse debet de causa cuius intuitu principaliter datur privilegium; nam si illa sit persona ipsa seu conditio per se adhaerens illi, censetur privilegium esse personale; si vero sit dignitas, vel res alia, seu causa quæ cum persona non cohaerat, privilegium est reale. Atque ita hanc regulam assignant Bald., Rom., Anch., et alii quos refert et sequitur Barb. supra, n. 3, et videtur sumi ex dicta l. *In omnibus causis*, et ex alio principio quod in omni dispositione attendit præcipue ad causam principalem et immediatam quam ad remotam, ut est vulgare.

8. *Difficultas circa regulam datam.* — Non caret tamen hæc regula dubitatione; nam interdum principale motivum concedendi privilegium est conditio personæ, ut dignitas ejus vel meritum, et nihilominus intuitu illius privilegium conceditur rei principaliter, ut quando rex alicui comiti, propter insignes victorias in bello partas, privilegium majorum principum, quos Hispani *grandes* vocant, non solum personæ sue, sed etiam dignitati, seu comitatu concedit, quod privilegium reale est, licet intuitu personæ fiat; e contrario vero, licet privilegium concedatur principaliter intuitu dignitatis, si fiat personæ, personale tantum est, ut patet ex dicta l. *Sordidorum*, ibi: *Nequae enim potest esse perpetuum quod non rebus, sed personis, contemplatione dignitatis atque militiae, induluisse nos constat.*

9. *Solvitur difficultas.* — Respondeo argumentum convincere, non esse principaliter attendendum motivum operantis ad discernendum inter hæc privilegia, sed objectum (ut sic dicam) proximum ad quod direxerit intentionem suam, quando voluit privilegium concedere. Nam princeps, concedens privilegium, voluntate sua facit ut vel persona vel res alia privilegiata sit; ergo illa fit subjectum proprium, cui veluti adhaeret immunitas privilegii, quæ respectu voluntatis concedentis fuit proximum objectum talis concessionis. Et in hunc modum interpretor verba illius l. *In omnibus*, quæ sic habent: *In omnibus causis, ubi personæ conditio locum facit beneficio, ibi, deficiente ea, beneficium quoque deficit.* Nam conditionem personæ locum dare beneficio, idem esse intelligo quod præparare et reddere capacem personam ut sit veluti proximum subjectum beneficii, seu privilegii. Et simili modo subdit e converso: *Ubi vero genus actionis id desiderat, id est, ut intelligatur favor inhaerens actioni, ac subinde privilegium esse reale.* Ex quo textu alii verbis possumus explicare rem eamdem; nam si intentio privilegiatoris fuit providere personæ, privilegium est personale: si vero intentio fuit providere cause, dignitati, et similibus, privilegium est reale, ex quocumque motivo, sive intrinseco, sive extrinseco, ad unum vel alium modum intentionis inductus fuerit privilegiator, quia (ut dixi) id operatur quod vult, undecumque moveatur. Opinorque hoc intendere juristas, cum dicunt non ex causa impulsiva, sed ex principali et proxima distinctionem esse sumendam. Nihilominus tamen multum est consideranda causa motiva: nam deseruit multum ad

indicandum intentionem concedentis, et ex illa sæpe conjectandum est quomodo privilegium ad rem vel personam dirigatur, ut ex dicendis patebit.

10. *Quomodo sciatur intentio concedentis.* — Ulterius vero superest explicandum quomodo cognoscatur intentio concedentis. Circa quod altera consideratio occurrit. Nam imprimis attente consideranda sunt verba privilegii, et si illa non sufficiunt, materia ipsa et proportio ejus cum concessione est spectanda, ut privilegii conditio discernatur. Et imprimis, ex parte verborum pro regula assignari solet, si verba diriguntur ad rem, privilegium esse reale; si ad personam, esse personale. Ut si privilegium dicat: *Concedo vineæ tuae immunitatem solvendi decimas*, privilegium est reale: si vero dicat: *Concedo tibi facultatem non solvendi decimas ex vinea*, privilegium est personale, ut notat Gloss. in Clement. 4 verb. *Excolentes*, de Decim. Ratio est, quia illa verba designant proximum objectum, seu subjectum immunitatis concessæ: ergo priora indicant ut subjectum ipsam vineam; posteriora vero personam cujus est vinea. Et confirmari potest ex iuribus in quibus distinguuntur personale ac reale privilegium, quia unum personæ, aliud rei conceditur, ut patet ex leg. 1, ff. de Aqua quotid. et æsti., in fine, cum aliis supra allegatis; non potest autem melius significari verbis, quod huic vel illi concedatur privilegium, quam verba ad hoc vel illud, id est, ad rem, vel personam dirigendo. Et ita sentiunt Gloss. 2, q. 2, in princ., et in cap. *Tua*, de His quæ fiunt a Praelatis; Bart. in l. 1, ff. de Constit. Princ., n. 2.

11. Confirmari hoc potest ex regula juris, quod delegatio commissa alicui sub nomine dignitatis, ut Episcopo Conimbricensi, intelligitur concessa sedi, ita ut si iste decebat, successor intelligatur delegatus; secus autem esse si fiat sub proprio nomine personæ, ut habetur in c. *Quoniam Abbas*, de Offic. deleg.; ergo signum est verba concessionis ibi proprie collocare suum effectum, ubi directe et immediate diriguntur. Idem ergo est in privilegio, ut notant Panorm. et Felin. ibi. et Bald. in c. 1, de His qui Feud. dare possunt, § *Marchio*, n. 4. Unde inferunt etiam ordinem litteræ seu concessionis esse in privilegiis attendendum, ita ut si res collocetur proxime post concessionem, privilegium sit reale, licet postea adjungatur persona; at vero si prius nominetur persona, privilegium personale judicetur. Ita Panormit. in dicto c. *Mandata*, de Præsumpt.,

num. 1, argumento legis *Si communis*, ff. de Stipul. ser.; statim vero addit idem Panorm. explicationem, ut hoc intelligatur in dubio, et quando aliae conjecturæ cessant, quod nos dicimus, cæteris paribus; tunc enim merito hæc conjectura aliquid operabitur.

12. Addenda vero est duplex limitatio: una est, ut hæc regula locum habeat quando verba privilegii sunt absoluta, et simpliciter diriguntur ad personam tantum, vel ad rem tantum; nam si aliquid eis addatur, per quod extendatur, vel distrahat eorum significatio, mutari omnino poterit significatio, vel certe ambigua fieri. Ut, verbi gratia, si postquam privilegium dixit: *Concedimus Petro, vel tibi, addat, et hæredibus tuis vel successoribus tuis, etc.*, privilegium non est personale, sed reale. Ita monet Bartol. in leg. 4, ff. de Constitutione princip., n. 2, per l. 1, ff. de Jure immunit., ibi, *posteriorisque datæ*. Idem est si concessioni personæ factæ addatur, *in perpetuum*, seu *ut perpetuo valeat*, tunc enim privilegium est reale, ut notat Felin. in dicto cap. *Quoniam Abbas*, n. 11, cum Anch. in reg. *Privilegium*, q. 4, et cons. 333. Aliqui vero putant particulam *perpetuo* non sufficere, quia in jure significare solet vitæ tempus, et coactanda est. Alii vero utuntur distinctione de liberalibus, vel remuneratoriis privilegiis, ut per Barbos. dicta l. *Quia tale*, n. 11. Verum etiam in liberalibus censeo tenendam esse proprietatem verbi, nisi alia verba, vel ratio urgens cogat ad illam restrictionem. Regulariter enim illud adverbium perpetuitatem privilegii significat, quia si absolute fiat concessio personæ sine restrictione temporis, intelligitur durare toto tempore vitæ, si aliquid aliud non obstet; ergo, cum additur expresse ut privilegium sit *perpetuum*, aliquid amplius conceditur, nempe totum illud quod vox illa proprie significat. Et quia contra naturam privilegii personalis est ut sit *perpetuum*, ideo fit privilegium reale. Quia licet nominetur persona, non nominatur ut subjectum privilegii, hoc enim tunc est genus ipsum, seu familia, sed nominatur ut prima persona incipiens uti privilegio, seu tanquam fundamentum adæquati subjecti privilegii. Idem, e contrario, erit si privilegii concessio immediate dirigatur ad rem, vel dignitatem, statim vero addatur causa indicans intentionem dirigi ad personam, ut, si sub nomine Episcopi talis civitatis concedatur eiDEM facultas aliqua propter insignes labores, vel eminentiam scientiæ, etc., privilegium est personale, ut expresse notavit Panorm. in cap.

*Mandata*, de Præsumpt. n. 1, assignans pro regula in privilegiis magis esse utendum conjecturis, quam recurrentum ad expressionem nominis proprii, vel dignitatis. Est autem ea- dem ratio de aliis nominibus rem vel personam significantibus.

13. *Præter verba attendenda etiam materia privilegii.* — Altera declaratio est, ut, ultra verba, materia privilegii spectetur; oportet enim talis esse conditionis vel qualitatis, ut possit juste et recte ad illam adaptari privilegium, ideoque juxta illius capacitatem interpretanda sunt verba. Nam, licet verba sonent privilegium reale, si materia non potest accommodari recte perpetuitati privilegii, interpretanda erunt de personali, et e contrario. Ita Panormitan. in capit. *Adversus*, de Immunitate Ecclesiarum, num. 17, et in cap. *Quoniam Abbas*, de Offic. delegat.; et late Anchar. in dicta regula *Privilegium*, quæst. 1, circa finem, ubi varia inducit exempla, et alii supra citati. Sumiturque ex illo principio juris quod verba debent rebus servire, non res verbis, et ideo interpretanda sunt juxta materiæ capacitatem. Item ex illo quod leges ita interpretandæ sunt, ut absurdum non contineant. Atque ita in capit. *Dilecti*, de For. competen., supponitur rescriptum datum ad quemdam Episcopum sub proprio ejus nomine transire ad successores; e contrario vero in c. *Adversus*, de Immunitat. Ecclesiar. dicitur extingui cum persona, quod ad Prelatum sub haec appellatione dirigitur, quia in utroque loco materia ita postulabat, et similia multa videri possunt in citatis auctoribus.

14. *Quid dicendum in dubio an privilegium sit reale vel personale.* — Atque hinc obiter intelligitur, primo, quid dicendum sit quando fuerit dubium an privilegium reale sit vel personale. Auctores enim interdum dicunt præsumendum esse reale, ut affirmat Tiraq., de Primogenit., quæst. 40, n. 72; citat vero duas Glossas, unam in l. *Forma*, § *Quanquam*, ff. de Censib., quæ nihil dicit; aliam 25, q. 1, in princ., quæ dicit contrarium. Citat etiam Alexand. et alios in leg. *Quia tale*, ff. Solut. matr., ubi Barbos., n. 4, in fine, plures refert. Sequitur etiam Anton., 1 part., tit. 19, c. 1, § 2, in fine; et Emman. Roder., t. 1, quæst. 56, art. 12. Ad quod allegantur leg. *Ætas*, et dictus § *Quanquam*, ff. de Censibus, quæ jura nihil probant præter regulam generalem, quod privilegium rebus concessum est reale; personis autem personale. Allegatur etiam c. *Cum venisset*, de Instit. quod solum probat in

aliquo casu, licet sit aliquod dubium, multo maiores esse posse conjecturas quod privilegium sit reale, et ideo id esse præsumendum, nisi contrarium probetur, quod est per se notum, sed non minus poterit contingere oppositum, ut per se constat. Denique adducitur ratio quod, licet persona inferatur in privilegio, non statim fit personale: idem vero dici poterit de re: nam, licet res inseratur in privilegio, non statim fit reale.

15. Et ideo alii communiter dicunt in dubio privilegium præsumi personale, quod tenet dicta Gloss. 25, quæst. 2, in princip.; et Bartol., cons. 189, n. 4. Idem Jason. in leg. *Si sic*, 2, ff. de Verb. obligat., qui tamen excepit immunitatem, seu privilegia obtenta per viam contractus; dictam vero sententiam absolute tenet Decius in leg. *In omnibus causis*, ff. de Regulis juris; et plures, quos Barbos. supra refert, n. 4. Hoc etiam tenuit Emman. Roder., eodem tom., quæst. 30, art. 15, nulla facta distinctione vel exhibita concordia. Ratio pro hac sententia esse potest, quia privilegia sunt stricti juris, et ideo in dubio potius sunt interpretanda esse personalia, quam realia, ut restringatur concessio, quia reale privilegium, quo est durabilius, eo est majus, cæteris paribus, ut per se constat; ergo in dubio restrigendum est ad personale.

16. Has vero opiniones ita concordat Barbosa in dicta 1. *Quia tale*, n. 4: in dubio tunc censeri privilegium personale, quando verba referuntur ad personam, et aliae conjecturæ de alia principali causa vel intentione non existant, et sic procedere hanc secundam opinionem. In simili vero dubio, si verba ferantur directe ad rem, privilegium censeri reale, et ita procedere priorem opinionem. Citat Gloss. in Clementina 1 de Decimis, verb. *Excolendas*; et Panorm. in cap. *Ex parte*, 1 de Decim., n. 4. Sed illi solum tradunt generalem doctrinam supra traditam de modo distinguendi privilegium personale et reale ex verbis. Unde mihi non placet conciliatio, nec videtur expedire questionem, quia non inquiritur, vel certe dubitari non debet, an privilegium, quod in cæteris est æque dubium, et in hoc excedit quod verba dirigantur ad rem, sit reale; vel si excedat quia verba diriguntur ad personam, sit personale. Nam de hoc nulla esse poterat ratio dubitandi. Imo tunc non videtur posse vocari privilegium dubium, sed certo reale, vel certo personale juxta exigentiam verborum; nam signum datum de verbis certum est et juridicum, quando aliud ex conjecturis

non constat, et consequenter quando alia sunt dubia. Quæstio ergo propria est, quando privilegium est dubium omnibus pensatis, ita ut, licet verba videantur dirigi ad personam, aliae conjecturæ indicant intentionem legislatoris principaliter respexisse ad rem ipsam, vel e contrario: ac denique quando, omnibus supra dictis omni ex parte pensatis, res est utrinque dubia. Tunc enim dici non potest conjecturam verborum semper esse præferendam, quia nulla ratione hoc fundatur, cum possit esse in aliis æqualitas vel excessus. Præsertim quia illa conjectura verborum non tam ex significacione propria illorum quam ex ordine, vel tali conjunctione desumitur, quæ conjectura magis incerta est; et ideo dixit Panormitan. in dict. cap. *Mandata*, alias conjecturas ex causis et materia privilegii esse anteponendas.

17. Sic ergo intellectam quæstionem resolvendam esse censeo, duplice distinctione privilegii præmissa. Una est vulgaris de privilegio, quod est purum beneficium, et quod est contra jus commune, aut tertii. Alia est satis etiam trita de duplice dubio: negativo, in quo deficiunt rationes determinantes intellectum ad alterutram partem, et ideo suspensus manet; et positivo, in quo sunt pro utraque parte rationes probabiles, et sufficientes ad definitum assensum præstandum, licet incertum. Primum genus dubii vix habet locum in proposito, quia semper interveniunt conjecturæ sufficientes ad ferendum aliquod judicium, ut clare constat ex materia subjecta, et ex his quæ diximus. Et licet fingatur casus in quo tanta sit æqualitas inter rationes et conjecturas utriusque partis, ut intellectus dubitet quid verum sit, semper tamen potest judicare unum et alterum esse probabile, quod satis est ad judicium practicum de agendis.

18. Dico ergo imprimis, in quo cumque ex his dubiis, sive negativum fingatur, sive positivum, privilegium favorabile, seu quod est purum beneficium, judicandum esse reale per regulam juris: *Decet concessum a principe beneficium esse mansurum*; et per aliam regulam, quod tale beneficium latam admittit interpretationem, l. ult., ff. de Const. princ.; et ita docet Bald. in l. 3, ff. de Const. princ., lect. 1, n. 17; et idem sentit Bart. in l. ult., ff. de Servit. legat., n. 4. Cujus sententiam aliqui extendunt etiam ad casum in quo verba clare dirigantur ad personam. Sed hoc nec verum est, cum repugnat omnia jura; nec ad mentem Bartoli, cum ipse aperte loquatur in casu dubio, et addat semper, nisi ex verbis

aliud constet, ut late expendit et confirmat Barbos., n. 11 et 12.

19. *Privilegium odiosum contra commune jus, vel in prejudicium aliorum cedens, in dubio censendum esse personale, si utraque pars dubii sit probabilis.* — Deinde dicendum est privilegium odiosum, quod sit contra commune jus, vel cedat in aliorum præjudicium, in dubio censendum esse personale, quia restringitur intelligendum, et ideo ita est interpretandum ut potius temporale damnum inferat, quam perpetuum. Et hoc etiam docet Bart. citato loco, et videtur esse sine controversia. Quia vero, ut dixi, hoc dubium positivum est, ideo oportet supponere utramque partem dubii esse probabilem; nam si una sit probabilis, et altera improbabilis, illa prior non dubia, sed certa habenda est. In gradu ergo probabilitatis potest esse inæqualitas, et tunc, si præsumptio quod privilegium sit personale sit probabilior, a fortiori procedit simpliciter regula. Si tamen probabilius videatur esse reale, tunc certe privilegiarius ipse potest in foro animæ illud retinere ut reale, et idem censeo esse judicandum in forensi judicio; tum quia major probabilitas est quedam moralis certitudo, si excessus probabilitatis certus sit; tum etiam quia major probabilitas suo modo confert majus jus, quod in sententia ferenda præferendum est, quia in ea servari debet distributiva justitia, ut D. Thomas docuit 2. 2, quæst. 63, art. 3, ad 1. Hac autem intelligenda sunt per se loquendo, et considerando naturam privilegii et originem ejus, antequam possessio vel usus ejus in alterutram partem inclinet: tunc enim succedit alia regula juris, quod in dubio melior est conditio possidentis, et ideo si privilegiarius possidet illud ut reale, licet oriatur dubium, quamdiu illa pars manet probabilis, potest jus suum retinere, donec aliud per judicem authentice declaretur.

## CAPUT IV.

DE PRIVILEGIO REMUNERATIVO ET CONVENTIONALI,  
AN REALE SIT VEL PERSONALE.

1. *Privilegium gratiosum quid.* — *Privilegium remuneraticum quid.* — Ex dictis in superiori capite, intelligi potest qualia sint privilegia remunerativa et conventionalia, et obiter explicantur duæ aliae divisiones privilegii. Secunda ergo divisio illius sit in gratiosum et remunerativum. Gratiosum dicitur quod gratis conceditur sine ullo respectu ad merita